UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
WUPPERTAL

BERGISCHE
UNIVERSITÄT
WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Codicis Dn. Ivstiniani Sacratissimi Principis P.P. Avg. Repetitæ prælectionis Libri XII

Justinian <I., Byzantinisches Reich, Kaiser>

Francofurti ad Moenum, M D LXXXVII.

Iustiniani Imperatoris novellae constitutiones

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1733

Visual Library

IVSTINI a IMPERATORIS AVGVSTI NOVELLAE CONSTITVTIONES,

Henrico Agylæo interprete.

DE INDVLGENTIA[b] TRIBVTA- riorum reliquorum.

CONSTITVTIO I.

QVANTVM ſtudij & prouidentię iam inde ab Imperij noſtri primordijs in commoda publica contulerimus. & quæ ſequuntur.

VT CONSENSV[c] MATRIMOnium ſolui poſſit †.

CONSTITVTIO II.

NIHIL[d] in rebus mortalium perinde venerandum eſt, atque matrimonium: quippe ex quo liberi, omniſque deinceps ſobolis ſeries exiſtat. & quæ ſequuntur.

DE IIS QVI IN OSROENA[e] ET Meſopotamia illicitas nuptias contraxerunt.

CONSTITVTIO III.

Idem Imperator Petro ſacri ærarij comiti.

PRÆFATIO.

REGVM ſeueritati interdum Imperatoriam clementiam immiſceri[f] conuenit, præcipuè verò quando ſubditos multis damnis atq; incommodis ea res eximit: quale profectò quiddam in præſentia noſtræ potentiæ facere viſum eſt. A patre enim noſtro, qui vnà cum alijs virtutibus pudicitiam mirificè amplexatus eſt, conſcripta lex[g] eſt, quæ eos qui illicita matrimonia ineunt, & punit, & mulctat, & ad honeſtatem reducit, vt ne quæ extra ipſius naturæ fines poſita ſunt concupiſcant. Ac ſanè perpulchra ea lex eſt, mirumque in modum nobis placet: adeò vt eam & ratam habeamus, & omnibus modis vigorem ſuum obtinere iubeamus. Verùm multi ex Meſopotamia, Oſroena quoque & Euphratica prouincia nos adierunt, qui docerent, quomodo nonnulli, dum conſuetudinem cum Perſis, (à quibus hæ prouinciæ non[h] multum diſtant) & qui inter illos ſunt Saracenis[i] habent, partim per ignorantiam legis, partim amoris affectu victi, *illorum imitatione* illegitimis matrimonijs coniuncti fuerint, ita vt nõnullis horum liberi atq; nepotes nati ſint: *quomodo item* nonnulli, hac cupiditatis ſuæ occaſione capta, quòd paululum quiddam pro acceptis iuſſionibus quæ iſtiuſmodi inueſtigari atq; vindicari velint, gloriæ tuæ magiſtratui quotannis depenſuri ſint: poſt huius rei faciendæ commiſſionem turpis lucri cauſa per calumniam multos iniuria afficiant, vexent, ac innocentibus negotium faceſſant: adeò vt ſæpe mortuis illis qui illicitè inter ſe iuncti fuerant, ab horum filijs, nepotibus, & vlterioris ſeriei liberis, qui nihil deliquerint, quòd parentes maioreſque ipſorum illicitè in matrimonium coierint, pœnas exigãt. Atque hæc quidem quum dicerent, ſimul a potentia noſtra clementiam petierunt.

[a] Succeſſor fuit Iuſtiniani, cognomẽto Curopalates, Paulus Aquilegienſis nepotẽ Iuſtiniani fuiſſe ſcribit: Zonaras, conſobrinũ: Cedren[9], ſorore Iuſtiniani natũ: Paulus Diaconus Iuſtinianum minorẽ appellat.

[b] Extat hæc Nouel. inter cęteras Iuſtiniani ordine 148.

[c] *Vide Nouell.* 22.c.4. *Nouel.* 139.

† *V. quæ notaui ad Nouell.* 139.

[d] laus matrimonij.

[e] *cõiunge Nouellam Iuſtiniani* 154.

[f] Seueritati clemẽtia miſcenda.

[g] *d. Nou.* 154.

[h] de qua ſępi[9] ideo cõcertatũ inter reges Perſarum & Romanos *V. Amm.* 17.

[i] Sarracenorũ nomen ſatis antiquũ. Eorum enim meminit Sextus Rufus *in Traiano*, Sarracenorũ, inquit, & Arabũ loca occupauit. Sed ne mo fideli[9] id expreſſit, Amiano libro 14. & lib. 23. ibi & Scenitas Arabas quos Sarracenos poſteritas appellauit. Hæc ille. Inde Mahumetis genus, cuius poſteri Sarraceni: poſtmodum Turcæ. Ne alioquin putes cũ idiotis ab Agare, Agarenos: aut à Sara Abrahami vxore, Saracenos appellari. De phylarchis Saracenorum alias dixi.

Cap. I.

NOs igitur horum precibus admiſſis, ſtatuimus, vt nullus[a] omnino eorum in tribus *iſtis* prouincijs, qui ante eum diem quo Deus nobis Romanorum imperium eſt largitus, in illicitas nuptias inciderit, ob id negotijs irretiatur, vel difficultatibus ac diſpendijs ſubdatur. Quanquam enim ſacratiſſimum noſtrum ęrarium ita damno afficiatur, & ijs quæ ex lege per hanc occaſionem ipſi dabantur, priuetur, nihilominus tamen quod pręterijt, ex ſpeciali beneficio vſque ad id tempus condonamus. Quod profectò facimus, non quaſi pudicitiam aut quę de hac lata lex eſt negligam[9]: ſed quo ijs qui paruo redempta talia ex fiſco ſubtrahunt, multorumque facultates ac ſubſtantias in dictis prouincijs quaſſant, & communes calamitates cient, omnem quæſtus occaſionem ſuccidamus. Quocirca ſanè legem illam, & quæ in illa aduerſus eos qui illicitè nuptias contrahunt, pœnæ conſtitutæ ſunt, vbique per noſtram rempublicam, & in paulò antè dictis prouincijs inde ab initio Imperij noſtri *vim & authoritatem habere* iubemus. Prouincijs autem iſtis adeo benignitatem ſimul & veniam elargiti ſumus, quòd qui in illis habitant, Perſis, & qui ſub ipſis agũt barbaris Saracenis finitimi[b] & vicini ſint, itaq; humanis affectibus tacti, illos imitati ſint, neque naturæ motum atque vim ſuperare valuerint.

EPILOGVS.

¶ Proinde quod nobis viſum eſt, & per hanc ſacram pragmaticam declaratur formam, gloria tua, quiq; pro tempore eidem magiſtratui præerit, effectui atque fini tradere & obſeruare ſtudeto. Dat. Kalend. Ianuar. Conſtantinop. Imper. Dn. Iuſtin. PP. Auguſt. anno 1.

VT[c] DEI AMANTISS. EPISCOPI, cum prouinciarum indigenis. & quæ ſequuntur.

CONSTITVTIO IIII.

DVM reipublicæ à Deo nobis datæ curam gerimus, ſimulque vt ſubditi noſtri in omnibus iuſtitiæ bono fruantur, operam damus. & quæ ſequuntur.

DE SAMARITANIS[d].

CONSTITVTIO V.

Idem Imperator Diomedi ſacrorum prætoriorum præfecto.

VT impiam Samaritanorum hæreſin, & omni ratione carentem horum veſaniam, ad meliorem frugem perduceremus. & quæ ſequuntur.

[a] Indulgẽtur nuptiæ illicitę Oſdroenis.

[b] ab occidua ſc. plaga. Ammianus 23. loquẽs de Perſide. Ab occidua plaga cõtingit Armenios & Niphatem, & in Aſia ſitos Albanos, mare rubrum & Scenitas Arabas quos Sarracenos poſteritas appellauit.

[c] extat hæc Nouella inter reliquas Iuſtiniani ordine 144.

[d] extat hæc Nouel. apud Iuſtinianum 144. cui adde *Nouell.* 129.

TIBE-

TIBERII[a] IMPERATORIS DE DIVInis domibus conſtitutio.

HENRICO AGYLAEO interprete.

In nomine domini Ieſu Chriſti Dei noſtri.

[a] Is ſucceſſor fuit Iuſtini. *de quo* ſ. ſub quo palatiū regebat, teſte Paulo Diacono. Cedren[e] & Zonaras fuiſſe κόμητα τῶν ἐξκουβιτόρων ſcribunt.

Imperator Cæſar Fl. Tiberius, Conſtantinus, fidelis in Chriſto, clementiſ. beneficentiſ. pacificus, Alamanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Alanicus, Vuandalicus, Africanus, pius, fœlix, inclytus, Victor, triumphator, ſemper colendus, Auguſtus, Sacratiſſ. Senatui.

PRÆFATIO.

CVM opera ſint quæ Deo conueniant, ſimúlque eundem cum humano genere ortum habeant, in ſupplices beneficum eſſe, maleficia extirpare, & quæcunque ſubditis vtilia ſunt, ea & meditari & facere: tunc ea ipſa nos præcipuum Imperatoriæ Maieſtatis inſigne eſſe arbitrati, ex quo Deus nobis reipublicæ imperium atque gubernacula dedit, nulla (vt ita loqui liceat) neque die neque nocte quicquam earum rerum ſtudio antiquius cariúſque habuimus. Hinc certè quum permulti qui partim in inclyta hac vrbe habitarent, partim ex omnibus fermè ſubditorum noſtrorum prouinciis *alij aliunde prodirent*, diuerſimodè nos adierint: *qui ijdem* quum prope poſſeſſiones domúſve quaſpiam Imperatorias prædia & bona ſua haberent, aliiſq; rebus & controuerſiis inuoluti eſſent, variis iniuriarum modis à procuratoribus, chartulariis, conductoribus, & qui alioqui ad Imperatorias domus attinēt, in ſe peccari annunciarent, *atque* res mobiles, interdum etiam poſſeſſiones, agros & agricolas ſibi ereptos lamentarentur: *ea autem ratione, quod* illi aliquid faciendum conducere ab ipſis alienis prædiis & agris defenſionem quæ illis non competat tribuant, tabuláſque Imperatorias ac ſignacula[b] affigant, & (vt vno verbo dicamus) quæ ad ipſos non pertinent, ſuo dominio ſubiiciant: *quòd* aliorum aduerſus alios nulla ratione nitentes lites ſuſcipiant, itaq; & actores rebus ſibi debitis potiri non ſinant, & reis citra iudicium indictáque cauſa debiti exactionem vi inducant: *ad extremum verò, quòd* vt nonnulli fraude inducti, rerum debitarum ſyngraphas in ipſas diuinas domus concipiant & conſcribant, efficiant, alieníſque emptionum, aut fortaſſe donationum, contractibus in eorum qui aliis debent circunſcriptionem immiſceant: *inde (inquam) factum eſt vt* quæcunque ad noſtras aures peruenerint de iis rectè & competenter ſtatuerimus, quum his quidem reſtitui ablata iuſſerimus, ac incōpetētes defenſiones interdixerimus[c]: illos verò à iudiciis liberauerimus, debitorúmque ſyngraphas irritas iudicauerimus, & fraudes[d] in contractibus fieri ſolitas prohibuerimus: quum denique Imperatoriarum domuum procuratores leges iuſtūque pietatis noſtræ propoſitum ſequi iuſſerimus. Verùm quoniam impoſſibile eſt, vt extranei, quíque procul hinc habitant, pariter omnes huc conueniant, vtque nos ſingulatim omnia quæ hunc ad modum fiunt, vbique manifeſta faciamus: quæ ad hæc attinent, euidenti lege explicare viſum eſt, quò non ſolùm noſtræ ætatis, verumetiam omnis futuri æui hominibus noſtrum æquitatis iuſtitiæque ſtudium innoteſcat. *Innoteſcat verò* etiam quàm Imperatoriis noſtris ædibus, quive illis præſunt, ſi quid delinquant, non parcam[e]: *quomodóque* ſi[e] ſubditis bene ſit, id noſtram eſſe opulentiam felicitatēq;, & (quia non ſolùm diuinarum domuum negotia, verumetiam communia præſentis reipubl. nos cognoſcere par eſt) ſubditorum facultates, quantum ad curā, nihil[f] ab Imperatorijs differre exiſtimemus.

[b] V. l. 2. Co. vt nemo priuatus titulos præd. ſuis vel alien. impon. &c.

[c] facit 2. C. 14. 15. 16. 17. 18.

[d] V. l. 5. Co. de legib.

[e] intereſt. n. principis locupletes habere ſubditos.

[f] hinc illud Plinij ad Traianū, Tu nihil ampliùs vis tibi licere quàm nobis *adde Nouell. 149. c. 3. inf.*

Cap. I.

STatuimus igitur, vt nulli glorioſiſſ. magnificentiſſimóve diuinarum noſtrarum, aut pientiſſ. Auguſtæ domuum (quibus & patrimonialis & regia domus, quæ ante nouas eccleſias ſita eſt, annumeranda eſt) curatores, aut chartularij, aut prouiſores[a], aut conductores, aut quicunque alij ad eaſdem diuinas domus pertinent, vel tabulas quæ noſtram appellationem contineant, vel effigies[b] inſigniáve Imperatoria alienis ædibus aut prædiis, vel mobilibus defunctorū, aut etiamnum ſuperſtitū rebus ſignacula[c] imponere, vel aliorum ruſticos ſuſcipere, vel ſolutiones aliquas quæ ipſos aut etiam ipſorum prouentus transferant, in Auguſtalem domum faciendas curare in poſterum auſint: neque ſi etiam earundem domuum, prædiorum, rerum, aut ruſticorum partem aliquam ad Auguſtas ædes pertinere contingat, hinc aduerſus eos qui vnà cum ipſis poſſident, fraudis læſioníſq; occaſionem capiant.

[a] ἢ προνοητῶν.

[b] εἰκόνας καὶ χαρακτῆρας βασιλικοὺς *adde Nouell. 17. c. 15.*

[c] σήμαντρα.

Cap. II.

QVin & ſi quos ruſticos, qui in aliorū mancipio ſunt, in præſenti ipſos habere, aut quales diximus ſolutiones accepiſſe conſtet, ſimul ipſos ruſticos reſtitui, ſimul ipſas ſolutiōes irritas eſſe iubem⁹. Quòd ſi de his reb. aut etiam de aliquibus contractibus actionem ſe habere aduerſus alios dicant, nequaquam reum ad ſe trahant[d], neque (id quod & abſurdiſſimum & iniquiſſimum putamus) ſuarum[e] controuerſiarum iudices ſedeant: liceat autem ipſis vt coram competente iudice, ſub quo ſunt qui actiones ſuſtinent, litem moueant, ſimúlque ius ſuū obtineant. At ſi ipſos glorioſiſ. magnificentiſſimóſque curatores, diuinarum domuum quarum curam gerunt nomine ab aliis in ius vocari contingat, tum quidem ſi hîc actio inſtituatur, communi & actoris & Auguſtalis domus curatoris conſenſu vnus ex glorioſiſſ. noſtris præfectis ad rei examinationem diiudicationemque eligatur: & ſi (vt fieri aſſolet) contentio huc inſurgat, libellus ſupplex Principi offeratur, datúſque ab ipſo iudex ſuſcipiatur. ſi verò in prouincia aliqua, eius præſes cōtrouerſiā ſibi audiendam ſumat. Cæterùm ſi quis chartularius, emphyteuta, conductor aut colonus Auguſtalium rerum occaſione in ius vocetur, facultas ſit actori, ſi velit, vt coram ipſo Auguſtalis domus curatore, aut (ſi ſuſpectum illum habeat) in alio forò coram eo coram quo communiter viſum ſit, aut etiam quem ex imperiali iuſſu hic nacti fuerint, actionem inſtituat. Quæ verò iſtiuſmodi controuerſiæ in prouinciis mouebuntur, eas cuiuſque prouinciæ præſes audiendas aſſumet. Sanè quæ iiſdem diuinis domibus priuilegia[f] iam conceſſa ſunt, ea non in his, ſed in litium ſumptibus obſeruentur, pro inducendis *nempe* (quo modo dicitur) legendis & edendis, atque in aliis quę circa lites fiunt ſumptibus, vt nemo conſtitutum horum modum tranſgredi audeat, iudiciorúmque miniſtri eo contenti eſſe debeant. Illis verò etiam qui aduerſus ipſas Auguſtas ædes, earum curatores, prouiſores, conductores, chartularios aut colonos actionem dictant, vt iiſdem vtantur priuilegiis facultas fuerit: vt ne in hoc quidem (quo tamen legibus noſtris conſtitutum eſt modo) illis eſſe inferiores videantur.

[d] de euocationibus aliàs dixi.

[e] *l. 10. ff. de iuriſdict.*

[f] *V. titu. C. de priuileg. domus Auguſt.*

CAP. III.

POrrò quia nonnullos ſcimus, qui quum creditores ſuos debitis fraudare volunt[g], res ſuas illis oppigneratas alicui noſtrarum ædium aut vendunt aut donant, aut alio quocunque contractu perſcribunt, & per illas medias[h] in alios vel cognatos vel familiares aliquo contractus modo transferendas curant: vt hac ratione hypothecæ ius miſerum in modū iis qui pecunias ſuas erogarint, ferè diſpereat: dum diuinæ domus præfectus (per quem hæc facta eſſe dicuntur) propter poteſtatem quam habet, mouendam de his rebus actionem non ſuſcipit: & qui rem percepit, contractum cum diuina domo initū prætendit, per datúmque domui priuilegium à nemine actione cōueniri ſuſtinet: *inſuper etiam quia eſſe ſcimus*, qui domibus, locis, aut aliquibus vnius cuiuſpiam Auguſtarum ædium officinis maiore aut quacunque mercede conductis illarum rerum prærogatiua vtantur: itaque creditores, aut etiam qui ipſis actiones intentant, & arceant & oblædant: idcirco iubemus ne quis de reliquo ſubdolis commentis aduerſus creditores ſuos vti audeat, neque per diuinam domum mediam cum alio donationem aut cōtractum inſtituat: *ſciens* quòd nullum[i] fructum ex verſutia ſua percepturus eſt, quum res alienata vbicunque fuerit, ſiue penes diuinam domum, ſiue penes aliū quempiam, nihilominus vendicari poterit, & omnia ei qui actiones aut etiam hypothecæ ius habet integra atque illęſa, perinde ac ſi nihil interueniſſet, ſeruabūtur. Ad hoc etiā,

[g] *adde l. 1. ff. de alienatione iudicij.*

[h] fraus fit à perſona ad aliam *l. 5. ff. de donat. int. vi. l. 5. §. 3. ff. de authorit. tut. l. 26. inf. C. de vſur. Nou. 12. c. 17. Nou. 123. cap. 2.*

[i] *l. 10. inf. ff. ſoluto matrimonio.*

ſi quid huius commenti cauſa ipſi diuinæ domui eiúſve procuratori captandæ beneuolentiæ ratione datum eſſe contingat, eo qui dedit excidet, hánceque (quamquam minorem quàm pro merito) remunerationem feret.

CAP. IIII.

CAEterum neque per earum ædium quæ ad Imperatorias domus pertinent inquilinos, neque per alienos colonos, aut alium quempiam omnium, diuinarum ædium præfecti aliquid faciendum conducant [a], neque illis patrociniũ tribuant, aut quod *πατρωνίκιον* [b] dicitur, ex liberis aliquibus, exactionibúſve obnoxiis, aut decurionum etiam, quęve in vniuerſum ad alios pertinent, prædiis capiant: ac verò ab his omnibus deſiſtant. Et ſi tabulæ aut inſignia Imperatoria iſtiuſmodi prædiis, domibus, officinis aut locis iam affixa ſint [c], hæc detrahant [d]: aliiſque qui illa detrahunt, quaſi noſtro iuſſu id faciant, nequaquam contradicant. Ad hæc quietem agant, aduerſúſque inquilinos, & qui quocunque modo tenentur, coram competentibus tribunalibus moueri actiones ſinant: ac nullum ad alienas cõtrouerſias, aut res, aut ius, aut prædia, horúmve colonos acceſſum habeant, neque aduerſus aliquos actiones cedant, aut has *ab aliis* aſſumant: itaque alios, vt iſtiuſmodi actionibus obnoxios, in ius vocent. Etenim hanc iniuriæ rationem omnino tolli iubemus, etiamſi donationis modo iſtiuſmodi actiones ipſarum dominus in nos diuináſque noſtras ædes transferat, & quæ iuſta videantur, debita ſe habere dicat: ne *videlicet* hoc commento aliis iniquitatis quicquam obueniat. Iſtiuſmodi ſiquidẽ donationes nobis curæ non ſunt, neque [e] calumniæ opinionem offerre & ſubire noſtrarũ diuinarum domuum procuratores volumus: vtpote qui ſingulis (vt dicitur) dieb. noſtra ſubditis donemus, magnã que rerum mobilium immobiliúmque, & pecuniarũ vim propè omnibus elargiamur. Facultas verò cuique ſit, vt quas ſe habere actiones dicit, eas aduerſus obnoxios ſecũdum conſentaneè in hoc obtinentem modum, nullo Auguſtarum domuum præfecto interpoſito, moueat: & quã do ſua per legem recuperarit, de his quocunque velit modo ſtatuat. Ipſas enim actionum ceſſiones, quòd fraudis & calumniæ anſam complectantur, & odimus & auerſamur. Quapropter ſi quæ huiuſmodi in ipſas diuinas dom⁹ iam conſcriptę ſunt, has irritas conſtituimus, & [f] nullam illas petitionem exactionemque habere concedimus, vt hi aduerſus quos factæ ſunt, inde prouenientibus actionibus liberetur, hánceque pœnam iis qui has ceſſiones facere auſi fuerint, imponimus.

[a] ἐνεργολαβεῖν, i. mercede accepta defendere. ſic in Nouel. 17. c. 14. τοὺς ἑτέρων βίους ἐνεργολαβεῖν.
[b] πατρωνίκιον merces patrocinij.
[c] *dixi ad l. 2. Cod. vt nemo priuatus.*
[d] *adde Nou. 28. c. 5.*
[e] *adde l. penu. ff. de hæredib. inſtituen.*
[f] *adde l. vlt. Cod. ne liceat potentiorib.*

Cap. V.

SI verò etiam ipſarum Auguſtarum domuum præfecti, aut chartularij, aut emphyteutæ, aut cõductores, aut diſpenſatores [g], aut qui alioqui ad illas pertinent, ob res priuatim ad ipſos pertinentes ab aliquibus corã competentibus magiſtratibus in ius vocentur, ipſos prompte obedire iubemus, & ſecundum procedendi ex lege ordinem actiones ſuſcipere, indéque manantibus exactionibus cedere, idque perinde ac ſi ad diuinas domus nihil pertinerent: ne hac poteſtate eos qui aduerſus ipſos actiones habent oblædere, iiſque quæ debent fraudare videantur. Adeò autem ab iſtiuſmodi iniurijs diuinas noſtras domus alienare cogitamus, vt controuerſias apud illarũ magnificẽtiſſ. glorioſiſſimóſve curatores ſiue in ſcriptis ſiue ſine ſcriptis iam motas, vlterius procedere non ſinamus, extraquàm [h] ſi vtraque pars ſponte id facere velit. Quod ſanè ſi vtraque pars non velit, *volumus* vt vnus aliquis noſtrorum magiſtratuum, in quem partes conſenſerint, quemve etiam nos aſſignauerimus, ſecundum hoc quod recens à nobis conſtitutum eſt, controuerſiam à quocumque horum examinatam, quæque in illa fortè acta ſunt, ſuſcipiat, ac deinceps audiat, quæque legibus conueniant de ea ſtatuat.

[g] ἢ διοικηταὶ.
[h] licet enim cuiq; renunciare iis quæ pro ſe introducta ſunt *l. 5. C. de epiſc. l. 29. C. de pact. Nou.* 136. *c.* 1.

Cap. VI.

DE oneribus [i] profecto etiam, & metatis, & angariis, & viarum [k] pontiúmque inſtaurationibus, de deſcriptionibus quoque & indictionibus tractare nobis viſum eſt. ac, ne hæc indiſtincta maneant, conſentanea quædam iuſtiſſimo noſtro propoſito de illis deſcriptio procedat. Quum enim priuilegia iam olim Auguſtalibus domibus data, ab his illas eximant, rectè animũ noſtrum ſubiit, vt rei vtilem & neceſſarium ordinem imponeremus. Si etenim ob Imperatoriorum exercituum qui in barbaros emittuntur, tranſitum, aut etiam noſtro iuſſu, quo abunde huic inclytæ ciuitati annonæ ſit, aliarúmve occaſionum cauſa, ſpecierum quandam contributionem [a] fieri contingat: his omnibus nõ modò alios ſubditos [b], verùm Auguſtarum domuum poſſeſſiones & habitacula profecto etiam obnoxia eſſe volumus. Ac ſanè citra has cauſas, ne diuinæ domus, neque alius ſubditorũ quiſquam moleſtia afficiantur, iubemus: neque vt tale aliquid illata neceſſitate fiat permittimus.

[i] τῶν συνωνῶν *v. inf. eo.*
[k] *v. l. 7. Co. de ſacroſ. eccleſ. l. 4. C. de priuilegijs domus Auguſtæ.*

[a] συνωνὴν, vt & ſupra συνωνῶν: συνωνὴ, coemptio *l. 2. C. frumento vrbis Conſtant.* Boetius *de cõſolatione*, indicta coemptio. Caſſiodorus 12. *variar.* Laridi atque tritici ſpecierũ nullis temporibus coemptiõis nomine inde decẽrnim⁹ poſtulari. Coẽptio dicitur quoties quis forẽ ſi pretio fiſco vendere cogitur, ideóque ἄχθος, i. onus dicitur. *Suidas in Συνωνὴ*, à quo nemini licet ſe excuſare *C. vt nemini liceat in coẽp. ſpecierum*. dicitur etiam συνωνητὸν *l. 1. Co. Theod. de publ. comparat.* Specierũ emendarum cura, ſitoniũ & ſitonia *tit. vt nem. liceat in coemptione ſpec. & de munere ſiton.*
[b] *vt l. 2. Co. de priuil. domus Auguſt.*

DE HEREDIBVS.

CONSTIT. II.

DEO [c] ſimul & iuſtitia nihil maius exiſtit. abſque his enim nihil vnquam commode geri poteſt, & præcipuè in noſtra hac republica. Exinde enim & rectè regnare, & ſubditos ad beneuolentiam, neque non ad ſummam licet attrahere deuotionem. Eapropter cùm & nos diuinitus, perque iuſtitiam, imperij ſceptra ſuſceperimus: & quæ ſequuntur.

DE [d] PROVINCIArum præſidibus.

CONSTIT. III.

NON tantùm decenter leges ferre ſummo bono eſt: ſed etiam ſancita accuratè cuſtodire, & ad effectum deducere, trãſgreſſoréſq; competentibus pœnis ſubiicere. Quæ enim [e] legum erit vtilitas, ſi in literis duntaxat conſiſtant, non etiam per ipſa facta atque opera ſubditis vtilitatem de ſe præbeant? & quæ ſequuntur.

Nouella quarta deeſt integra.

DE [f] RELEVATIONE tributorum publicorum.

CONSTIT. V.

PRæſtantiſſima inter homines bona ſunt iuſtitia [g] & benignitas: quarũ altera æquabiliter ſuum cuique tribuit, neq; appetit aliena: altera ad miſericordiam decurrit, & debitorum incommoditate egentes liberat. Hęc ornare firmareque imperium, hæc conſeruare rempublicam, hæc pulchrè humanam nouerunt gubernare vitam, & quæ ſequuntur.

[c] *extat inter Nouell.* 164.
[d] *extat inter Nouellas* 161.
[e] *l. 2. §. 13. ff. de origine iur.*
[f] *extat inter Nouel.* 163.
[g] hinc illud apud Ciceronem 6. *de republica, ſeu in ſommio.* Iuſtitiam cole & pietatem.

ALIAE ALIQVOT conſtitutiones Iuſtiniani, Iuſtini, & Tiberij, ex libro Iuliani anteceſſoris.

PRAGMATICA SANCTIO Iuſtiniani Imperator. complectens varia capitula.

1. Imperator Iuſtinianus Auguſt. vt omnia firma ſint, quæ Amalaſiunta, vel Atalaricus, vel Theodatus conceſſerunt.

PRo petitione Vigilij [a] venerabilis antiquioris Romæ epiſcopi quædam diſponenda eſſe cenſuimus ad vtilitatem omnia pertinentia, qui per Occidentales partes habitare noſcuntur. In primis itaque iubemus, vt omnia quæ Atalaricus, vel Amalaſiunta [b] regia mater eius, vel etiam Theodatus [c] Romanis vel Senatu poſcente conceſſa ſunt, inuiolabiliter conſeruentur: ſed & ea quæ à nobis vel à piæ memoriæ Theodora Auguſta quondam coniuge noſtra conlata ſunt, volumus illibata ſeruare, nulla cuicumque danda licentia contra ea venire, quæ a prædictis perſonis pro quibuſcunqne rebus vel titulis data vel conceſſa eſſe noſcuntur, excepta videlicet donatione à Theodato in Maximum pro rebus abita Marciani. ex quibus dimidiā portionem Liberio viro glorioſiſſ. dediſſe meminimus, reliquam dimidiam Maximo viro magnifico relictam, quas apud vtrunque firmiter manere cenſuimus.

[a] ſcripſit aduerſus Eutychen.

[b] Amalaſunta vel, vt Paulus Aquilegienſis ſcribit, Amalaſunta, alij Amalaſūtha, regina mater Atalarici Gothorū regis: quo extincto ipſa metregnauit *Ꝟide Paulum Aquilegienſem in Iuſtiniano: Pomponium* 1. *de bello Vandalico, &* 1. *de bello Gothico.*

[c] Theodatus ab Amalaſſūta particeps regni adſumptus, poſt dies aliquot eā in balneo ſtrangulare iuſſit *Paulus diaconus d.l.*

2. Vt per Totilanem factæ donationes irritæ ſint.

SI quid à Totilane [d] tyranno [e] factum vel donatum eſſe inuenitur cuicunque Romano ſeu cuique alio, ſeruare, vel in ſua firmitate manere nullo modo concedimus: ſed res ablatas ab huiuſmodi detentatoribus antiquis dominis reformari præcipimus. quod enim per illū tyrannidis eius tempore factum eſſe inuenitur, hoc legitima noſtra notare tempora non concedimus.

[d] Is eſt Totilanus rex Gothorū, à quo Roma quondā capta eſt, qui parcere Romanis cupiens, per totam noctem clangere buccina iuſſit, vt qui ſe à Gothorum gladiis tutos eſſe vellēt, aut in Eccleſiis tuerētur aut quibuſcūque modis occultarent, quiq; decimo poſt anno victus & interfectus a Narſete *Paul. Aquilegienſ. ibid.* Ꝟ. *Proco.* 3. *de bello Gothor.*

[e] Facit Paul. *C. The. de infirmandis iis quæ ſub tyrannis ac barbaris geſta ſunt. Dixi ea de re nonnulla in lege* 16. *Co. de ſacroſ. eccleſ.*

3. Nemini noceat in captiuitate gentium amiſſio inſtrumentorum.

LIcèt enim generali lege proſpectum eſt [f], ne inſtrumentorum amiſſio dominis, pro quibus inſtrumenta conſcripta ſunt, quodcunque præiudiciū rerum poſſit inferri: tamen ſpecialiter etiam per illa loca hoc renouare cenſuimus, cùm ſciamus per diuerſas calamitates & hoſtiles peruaſiones tam in ipſa ciuitate Romana, quā in aliis locis hominibus inſtrumenta periſſe. Nequaquā igitur ex hoc quicunque patiantur calumniam, aut aliquod ſuſtineant detrimentum, ſancimus, vt inſtrumentorum quidem amiſſionem [g] vel corruptionem nullus præiudicium pro dominio vel poſſeſſione, pro credito, dominis rerum, vel poſſeſſoribus, aut creditoribus pro quibus inſtrumenta conſcripta fuiſſe inferre pragmatum.

[f] *l.* 4. *l.* 5. *Co. de fide inſtrum.*

[g] Inſtrumēti amiſſio facta tyrannidis tēpore, non nocet creditoribus, dominis aut poſſeſſoribus.

IIII.

SEd & ſi quis res abſentis vel etiam capti, forſitan greges [h], per ſuam aut cuiuslibet auctoritatem inuaſit, vel petendo eas tenuit, reuerſo eo vel liberato, ſine vlla dilatione iubemus reſtitui ipſi, vel etiam hæredib. eius. Et ſi fortè ille fatale munus ſubiit, etiam hæredibus eius reſtituatur legis auctoritas ſuggerit.

5. Non præſumat quis alienum.

QVia autem veriſimile putamus diuerſo tyrannidis tempore res ſuas per metum alienaſſe hominibus, vel officium quodcunque gerentibus, vel aliam à Totila commiſſam actionem, vel potentiam vel gratiā apud eum habentibus, ſiue venditiones, vel cui quibuſcūque contracti titulos, modò verò quod factum eſt prius reſcindi [i] deſiderare, vtpote per violentiam vel per metū tyrannici temporis factum: ſancimus, omnibus eſſe licentiam ſui recipiendi ſiue vindicandi, vel poſſeſſionis à iudice adipiſcendę prædiis tantummodo videlicet reſtitutis, qui tamen eo qui ſe dediſſe perhibet adprobante veraciter conſtiterit exſoluta, nec aliquo poſtea modo vel fraude ſubtracta, vel ab eo recepta: cum non abſque ratione eſſe putamus multa tunc tempore per metum vel violentiam facta eſſe, quæ noſtris temporibus reſcindi exposcit iuſtitia, pœna videlicet inſtrumentis inſerta propter prædictas ſanctiones, modis omnibus quieſcente.

6. De tempore poſtliminij, id eſt, poſt captiuitatem.

CVm autem Deo propitio noſtro imperio ſint omnes reſtituti, ſancimus pro noſtrarum legū auctoritate triginta [k] necnon & quadraginta annorū præſcriptionem, alias inſuper, legibus locum habere, & ſuam tenere per omnia firmitatem: his duntaxat temporibus, quæ ab aduentu tyrannorum bellica confuſio comprehēdit, nullatenus in præſcriptionū curriculis imputādis.

[h] Ꝟ. *c.* 13. ~j. [i] *facit Nou.* 36. [k] idque etiam continetur *d. Nouella* 26. res ereptas tyrannidis tempore aufferri poſſeſſoribus, niſi actores excludantur legitimis præſcriptionibus.

7. Vt inſtrumenta irrita reuocentur.

COgnouimus, dum hoſtilis ferocitas Romanam ciuitatem vel alias obſideret, diuerſos contractus eſſe factos inter Romanos qui obſidebantur, vel etiam inſtrumenta conſcripta: in præſenti verò quoſdam prædictos contractus reſcindere vel etiā inſtrumenta irrita reuocare: ſancimus, & ſi poſtea per hoſtilem incuſſionem huiuſmodi documenta perierunt, nullam eſſe licentiam quæ facta ſunt, infirmandi, ſed omnes [a] contractus obſidionis tempore factos in ſua firmitate durare, inſtrumenti etiam competentem vim habituri, ſed nullum per eorum amiſſionem dominis præiudicium generandum. ꝙ enim ritè perfectum eſt, per fortuitos belli caſus verti, ſubtilitatis non patitur ratio.

[a] Contractus non ideò reſcinduntur, quod obſidionis tempore facti.

8. De rebus mobilibus vel immobilibus.

REs inſuper mobiles vel immobiles ſeſeque mouentes, quas a Theodorici [b] regis temporibus vſque ad nefandiſſimi Totilæ ſuperuentum quocunque iure vel titulo Romani poſſediſſe noſcuntur per ſe vel vſufructuarias vel alias perſonas per quas vnumquemque præcepit poſſidere, in poſterum ſine aliqua cōcuſſione apud eos ſeruamus, eo videlicet ordine quo per prædicta tempora eaſdem res poſſediſſe noſcuntur.

[b] Is eſt à quo Odoacer (rex Turcilinquorū & Rugorū ſi credimus Paulo Diacono *in Zenone*) *ſuperatus,* rexq; Italiæ Ꝟ. *Pomponiū de bello Gothorū* Ꝟ. *Paulum diaconū in Odoacri.*

9. Pro immunitate tributorum.

NE autem tributorū exactionis intuitu habitatores patiantur moleſtias quarumcunque prouinciarū, ſancimus nullius maioris dignitatis officia pro exigendis functionibus dirigi, ſed per prouinciarum iudices & eorum Officia quodcunque damnum collatores ſuſtinere pro tributorum videantur exactione, licentia non deneganda maioribus iudicibus & eorum Officiis, ſi minus inlatæ fuerint functiones, ipſos iudices & eorū Officia conuenire, & quod minus eſt illatum exigere, & tam publicæ rationes, quàm collatoris vtilitas procuretur. Dat. anno, die, & Conſſ. S S.

10. De confirmatione abſolutionis tributorum.

IPſarum etiam functionum ſolutionem per conſueta loca vel tempora ſolemniter pręcipimus fieri, nulla innouatione per hoſtilem aduentū ſolutioni tributorū penitus inferenda, ſed pro ſua conſuetudine vel noſtrorū beneficiorum tenore ſiue ad arcam ſiue in prouincia, vnumquenque ſolutionem in poſterum etiam celebrare.

11. Vt leges Impp. per prouincias ipſorum dilatentur.

IVra inſuper vel leges [c] Codicibus noſtris inſertas, quas iam ſub edictali programmate in Italiam dudum miſimus, obtinere ſancimus, ſed & eas, quas poſtea promulgauimus conſtitutiones, iubemus ſub edictali propoſitione vulgari ex eo tempore quo ſub edictali programmate euulgatæ fuerint, ēt per partes Italiæ obtinere, vt vna Deo volente facta rep. legum etiam noſtrarum vbiq; prolatetur auctoritas.

[c] *facit Nou.* 36. *inf.*

12. De ſuffragio collatorum.

PRouinciarum etiam iudices ab [d] epiſcopis & primatibus vniuſcuiuſque regionis idoneos eligendos [e] & ſufficientes ad locorum adminiſtrationem, ex ipſis videlicet iubem⁹ fieri ꝓuincijs, quas adminiſtraturi ſunt ſine ſuffragiφ, litis etiam codicillis per competentem iudicem eis præſtandis: ita videlicet, vt ſi aliquam collatoribus læſionem intuliſſe inueniantur, aut ſupra ſtatuta tributa aliquid exegiſſe, vel in coemptionibus [f] menſuris [g] enormibus aliiſque præiudiciis vel grauaminibus, aut iniquis [h] ſolidorum ponderibus poſſeſſores damnificaſſe, ex ſuis ſatisfaciant facultatibus. Quod etiam ſi quis de adminiſtratoribus aut actionariis de præteritorum nefandorum tyrannorum tempore feciſſe inuenitur, ex ſuis facultatib. ei à quo abſtulit, reſtituere iubemus, cū nos indemnitatem ſubiectorum vndiq; volumus procurari.

[d] In prouinciālium iudicum electiōe epiſcopi ſuffragium habuerunt.

[e] nota à quibus olim eligerentur prouinciarū iudices.

[f] *de quibus dixi ad Nouellam Tyberij c.* 6. *inf.* ~S.

[g] Ꝟ. *l.* 6. *in fi. ff. de extraord. criminib.*

[h] *facit edictū* 11. *c.* 1.

13. Vt proprietas vnicuique reſtituatur.

CVm autem cognouimus inimicis Deo propitio diuerſis expulſis prouinciis quoſdam greges [i] inuenientes ab illis relictas [k], & ſuo eas vindicare dominio,

[i] *c.* 4. ~S. *eod.*

[k] Greges etiā fœminino genere dixerūt veteres. Lucretius 4. Buceriæque greges Ꝟ. *Noniū in Greges.*

licet ad alios antea pertinebant: ſancimus, cauſſa diſcuſſa, quantum quidem ad eos pertinet, eis præſtari. Si quid verò ab aliis agnoſcetur, dominum ſua recipere: quod verò excepto domino nõ cognoſcitur, inter illos diſtribui, qui per eandẽ prouinciã greges amiſiſſe inueniuntur, diuiſione pro rata portione ſ. facienda.

14. De eo cui aliquid ablatum eſt, vt reſtituatur.

SI qui etiam collatorũm per occaſionem tributorum exactiones vel cuiuslibet oneris prætextu, aut alio irrationabili modo à quibuſdam in auro [a] vel in ſpeciebus læſi eſſe noſcuntur: hoc etiam competenter ei cui ablatum eſt, iubemus ſine ambiguitate reſtitui, vt vndiq; prouinciarum habitatores legitimè ſua recipiant, & noſtri temporis poſſint felicitatem ſentire.

15. De ſeruis, qui tyrannorum tempore liberas duxerunt vxores.

ILlud etiam præteritis capitulis inſerendum eſſe cenſuimus, vt ſi qui per Gotthicæ ferocitatis nefandiſſima tempora ſerui conſtituti liberas vxores inueniantur duxiſſe, vel etiam liberis hominibus ancillæ coniunctæ, licentiam [b] quidem liberæ perſonæ diſcedendi per præſentes noſtros mereantur affectus, ancilla videlicet vel ſeruo in dominorum ſuorum iura remanentibus, nullo præiudicio dominis ſeruorum vel ancillarum ex præterito tempore generando. Si verò in poſterum etiam coniugia tenendã eſſe putauerint, nullum [c] præiudicium circa libertatem propriam patiantur, filij verò maternam [d] conditionem ſequantur. quod etiam in illis, qui ex tali coniugio nati ſunt, obtinere iubemus.

16. De ſeruis & colonis, ab alio detentis.

SEruos etiam vel colonos, quos ab aliquo contigit detineri, ſuis reſtitui dominis vnà [e] cum medij temporis prole iubemus.

17. De Deo dicatis virginibus.

CVm autem tyrannicæ ferocitatis præſumptionem res etiam inlicitas quaſi permiſſas egiſſe ſine dubio ſit: ſancimus, vt ſi quis mulieres Deo ſacratas vel habitum religioſum habentes ſibi coniunxiſſe inueniantur, nullam eis tenendi, vel dotes fortè conſcriptas iterũ [f] monaſteriis, vel eccleſiis, aut ſancto propoſito cui dedicatæ ſunt, reſtituantur.

18. Ne pro comparatione ſpecierum collatores grauentur.

NE verò per coemptiones [g] etiam quodcumque collatores detrimentũ ſuſtinere inueniatur, ſancimus per vnamquanque prouinciam illatum fieri ſpecierum coẽptionem, quæ per eandem prouinciam abundare noſcuntur, neque enim eius quod ibi nõ abunde naſcitur, coemptionem non fieri patimur: pretiis videlicet pro ſpecierum venalitate, quæ tunc temporis in foro [h] rerum venaliũ obtinere noſcuntur, ſtatuendis, ipſis tamen pretiis ſpecierum vnicuique collatorum in tributorum imputandis exactionem, commerciis videlicet nauium nullo modo prohibendis, vt & noſter feliciſſ. exercitus poſſit nutriri, & collatores aurarias [i] functiones ex abundãtium ſpecierum commercio infundere valeant, diſtributione coemptionis pro arbitrio tam locorum antiſtitis quam primatum vniuſcuiuſque celebranda, ne collatores ex Officiorum [k] auaritia per quemcumque modum opprimi videantur.

[a] *facit Edict.* 11. ſ. *eod.*
[b] Matrimonia tempore tyrannidis contracta cũ ancillis, diſſolui poſſũt.
[c] Obſerua caſum quo libera ſerui vxor eſſe põt etiãſi libertatem non amittat.
[d] Partus ventrẽ ſequitur quod ad ingenuitatem *l.24. ff. de ſtatu hom.*
[e] Parentis reſtitutionem ſequitur partus. Cauſa cõiici põt ex lege 6.7. 8. *ff. de pignorib. & hypothecis. l.* 71. §. 3. *ff. de legat.* 1. *l.* 41. §. 2. *in fin. ff. de lega.* 3. *l.* 11. *ff. de manumiſſ. vind. l.* 3. *ff. de liberali.* & Seneca 9. *controuerſ.* 3. In auctiõe, inquit fratres, quãuis hoſtilis, haſta non diuidit.
[f] Matrimonium cũ moniali contractũ, dirimi iubet lex Iuſtiniani.
[g] *c.* 12. ſ. *eod.*
[h] Priuatus ſpecies fiſco vendere cogi põt, ſalario tamen accepto *dixi ad l.* 13. §. 1. *ff. commun. præd.* i. pretio quod communiter fungitur *dixi ad l.* 63. *ff. ad l. Falcid.* forẽſi pretio. aliãs nemo inuitus cogitur vendere *l.* 9. *Co. de Iudæis.*
[i] de auraria functione v. *l.* 13. *l.* 18. *C. Theo. de luſtrali collatione.* Dicitur autem eo modo quo auraria penſio apud Caſſiodorum 2. *Variar.* auraria penſitatio *l.* 2. *C. de fund. patrom.* auraria præſtatio *l. vnic. C. qui à præbit. tiron.* hinc aurarius canon *l.* 10. *C. de excuſ. muner.* aurarius ſuſceptor *l.* 1. *C. de apochis publicis.* [k] id eſt officialium, hoc enim inter cætera officium ſignificat *l.* 6. §. 5. *ff. de off. præſid.* inde officium cenſuale *l.* 18. *ff. qui teſtam. & apud Symmachum* 1. *epiſt.* 46. cohortale *l.* 33. *C. de appellation.* comitianum *l.* 2. *C. de off. militar. iud.* comitum *l.* 3. *C. de canon. largit. tit.* præfecti prætorio *l. vnic. C. de collat. donat.* Præſidis *l.* 54. *in fin. C. de decurionib.* præſidiale *l.* 1. *C. de præſcriptionib.* 30. procuratoris fiſci *l.* 3. *C. quando fiſcus vel priuat.* proconſulis, præfecti Auguſtalis *l.* 3. §. 1. *C. de largit. ti.* rectoris prouinciæ *l.* 2. *in f. C. de Canon. largit. tit.* vicarij *d.* §. 1.

19. De menſuris & ponderibus.

VT autem nulla fraudis vel læſionis prouinciarum naſcatur occaſio, iubemus in illis menſuris vel ponderibus ſpecies vel pecunias dari vel ſuſcipi quæ beatiſſimo papæ vel ampliſſimo ſenatui noſtra [a] pietas in præſenti contradidit.

20. De mutatione ſolidorum, id eſt, monetæ.

CVm autem ſcimus veterum Romanorum principum ſolidos per illa loca facilè inueniri, comperimus autem negotiatores vel alios quoſdam propter mutationem ſolidorum diſpendium aliquod collatoribus noſtris inferre: ſancimus, ſolidos Romanorum principum forma ſignatos ſine permutationis diſpendio per omnes prouincias ambulare, & per eos celebrari contractus: cũ, qui diſpendium aliquot permutationi ſolidorum inferre præſumpſerit, pro [b] vnoquoque ſolido alterum tantum ei cum quo contraxerit, inferat.

21. Vt pretium ſatisfaciat & quod tulit quis.

SI quis etiam de rebus immobilibus ad alium pertinẽtibus aliquem ornatum vel materiam abſtuliſſe inueniatur, modis omnibus reſtituere: vel ſi iam alicui iuncti [c] ſint ædificio, pretio ſatisfacere coartetur, vt vndique noſtrarum legum conſeruetur auctoritas. Inſtrumenta [d] etiam quæ ad alios pertinentia, fortè ab aliis detinentur, prioribus dominis iubemus reſtitui, vt omnes vndique noſtrarum legum adiutorio potiantur. Si verò inſtrumentum perijſſe inueniatur, cuius exemplar apud alterum inuenitur, vtpote duobus [e] ſcriptis authenticis, prout in contractis [f] ſolitum eſt, ex eo quod apud partẽ alteram inuenitur, aliud conſcribi iubemus, & parti dari, cuius iam inſtrumenta perierunt, vt competentem poſſit habere cautelam. Sed & ſi quis inſtrumentum alienum ſiue ipſe tollendo, ſiue quocunque caſu inueniendũ malignitate vel incẽdit [g] vel abſcõdit, aut corrupit, aut quocunque modo habere deſierit, tũnc quanti intereſt eius, ad cuius iura inſtrumenta pertinebunt, is qui dolum fecit ſatisfacere compellitur. *Dat. die, anno, & Conſſ. SS.*

22. Vt annona miniſtretur medicis, & diuerſis.

ANnonam etiam quam & Theodoricus [h] dare ſolitus erat, & nos etiam Romanis indulſimus, in poſterum etiam dari præcipimus, ſicut etiam annonas, quæ grammaticis ac oratoribus, vel etiam medicis, vel iuriſperitis antea dari ſolitum erat, & in poſterum ſuã profeſſionem ſ. exercentibus erogari præcipimus, quatenus iuuenes liberalibus ſtudijs eruditi per noſtram rempublicam floreant.

23. Vt ciuiliter inter ſe cauſas audiant.

LItes etiam inter duos procedentes Romanos, vel vbi Romana perſona pulſatur, per ciuiles iudices exercere iubemus, cùm talibus negotijs vel cauſis iudices militares [i] immiſcere ſe ordo non patitur.

24. Vt mutationes in ſuo ſtatu ſtent.

REipublicæ permutationes etiam vel comparationes ſiue competitiones [k] cum publico factas vſque ad aduentum ſceleratæ memoriæ Totilæ [l] in ſua firmitate firmamus, ſi tamen nulli aliquid alio poſſidente competit.

25. Vt fabricæ publicæ ſeruentur.

COnſuetudines etiam & priuilegia Romanę ciuitatis vel publicarum fabricarũ reparationi, vel alueo [m] Tiberino, vel foro aut portui Romano ſiue reparationi formarum [n] conceſſa ſeruari præcipimus, ita videlicet, vt ex hiſdem tantummodo titulis, ex quibus delegata fuerunt, præſtentur.

26. Vt per negotiatores coemptiones fiant.

SVper hæc cognouimus Calabriæ vel Apuliæ prouinciæ poſſeſſoribus pro coemptionibus non inferendis ſuperindictitium [o] titulum impoſitum eſſe pro vnaquaque millena, vnde coemptiones per negotiatores annis ſingulis exerceri, in præſenti verò negotiatoribus ſpecierum coemptiones recuſare temptantes tam ſuperindictitium titulum, quàm coemptionis onus prouinciæ poſſeſſoribus imminere, cũ abundè mercatores ſint, per quos poſſit exerceri coemptio: ſancimus magnitudinem tuã hæc examinantẽ, ſi poſſibile ſit, per negotiatores ſpe-

[a] Principis eſt, pondera & menſuras tradere. *facit Edict.* 11. *ca.* 2. *facit l.* 1. & 2. *C. de ponderatorib. l.* 15. *Co. de ſuſceptorib.*
[b] Qua multa afficiatur qui diſpendiũ infert permutationi ſolidorum.
[c] *adde l.* 38. *in f. ff. de rei vindicat.*
[d] v. *tit. de tabul. exhib.*
[e] Interdum duo contractus authentici eſſe poſſunt.
[f] i. eſt contractib. Idẽ plerumq; fit in teſtamentis. v. *l.* 24. *ff. qui teſtamenta.*
[g] *adde l.* 23. *ff. de falſis.*
[h] *de quo* ſ. *c.* 8.
[i] Iudex militaris cauſarũ ciuilium notionem non habet v. *l.* 1. *& ſequ. C. de off. mil. iud.*
[k] fortè legendum conductiones, argumento eorum quæ dicuntur in lege 9. *C. Theo. de infirman. his quæ ſub tyrannis, ibi locatio & conductio immutabilem obtinuerunt firmitatem.*
[l] *de quo c.* 5. 8. ſ. *eod.*
[m] *adde l. vn. Co. de nautis Tyberinis.*
[n] intelligit vt opinor aquæductus *l.* 27. 6. 3. ff. *de vſufr. & quẽadmod. l.* 39. §. 5. *ff. de leg.* 1.
[o] Superindictum, eſt augmentũ indictionis v. *tit. C. de ſuperindicto.*

cies

cies comparatas inferri, collatores prouinciæ nullatenus prægrauari, cùm ſuperindictio titulo ſemel eis impoſito, coemptionis etiam opus inferre ſit impoſſibile. *Dat. die, ann. Conſ. S S.*

27 Vt qui voluerit ad præſentiam Imp. nauigare, non impediatur.

VIros etiã glorioſiſſimos ac magnificos Senatores ad noſtrum accedere comitatum volentibus, ſine quo cumque impedimento venire concedimus, nemine prohibendi eos habituro licentiam, ne Senatoribus noſtris vel collatoribus debitus introitus quodammodo videatur excludi, ſed etiam ad Italiam prouinciam eundi eis, & ibi quantum voluerint tempus commorandi pro reparandis poſſeſſionib. aperimus licentiam, cum dominis abſentibus recreari [a] poſſeſſiones aut competentem mereri culturam difficile ſit. Quæ igitur per hanc diuinã pragmaticam ſanctionem noſtra ſtatuit æternitas, magnitudo tua modis omnibus effectui mancipare obſeruatéque procuret, pœna decem librarum auri imminente contra temeratores noſtrarum iuſſionum. *Pragmatica data Idib. Aug. Conſt. Imper. Dom. N. Iuſtiniano PP. Aug. anno 28.* [b] *P.C. Baſilij V.C. anno 13. Narſitur.* [c] *Ill. præpoſito ſacri cubiculi, Antiocho Vr. magnifico præfecto per Italiã.*

* Plinius 18. c.3. Quænam tantæ vbertatis cauſa erat? Ipſorum tunc manib. Imperatorũ colebãtur agri (vt fas eſt credere) gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore: ſiue illi eadem cura ſemina tractabant, qua bella, eadéq; diligentia arua diſponebant, qua caſtra: ſiue honeſtis manib. omnia lętius proueniunt, quoniam & curioſius fiunt &c. quæ ibidem vide, de Senatoribus ab aratro ad honores vocatis.

[b] i. anno 554.

[c] *Narſi Vrb.* ita legitur apud Iulianũ.

[d] Lugdunenſium, ita legitur apud Iuliani, alij Lygdunenſiũ. extat reſcriptũ Hadriani ad Bitraſium Pollionem legatu Lygdonenſem *l. 15. in f. ff. de excuſat. tut.* vbi Haloander legit Lugdunenſem, Fit etiam mẽtio Lugdunenſium Gallorũ in lege *Vlt. §. 1. ff. de cenſib.* Non poteſt autem hic locus referri ad Lugdunẽſes Gallos, vt qui Clodoueo Regi tunc tẽporis obtẽperarent ſoluti poteſtate & iuriſdictione Imperatoria vt colligere poſſis ex Gregorio Turonenſi 2. *num. 36.* idque eo magis quod hæc conſtitutio ad Illyricanos pertinet j. *cod.*

[e] id eſt 540.

DE ADSCRIPTITIIS & colonis.

Imp. Iuſtin. Auguſt. Dominico præfecto.

DOcuerunt noſtram ſerenitatem Lygdunenſium [d] habitatores, & hoc nos docuerunt, quia ante propoſuimus legem per quam iuſſimus adſcriptitios vel colonos commiſcentibus ſe liberis mulieribus procreare filios ad ſimilitudinem liberorum, & ex hoc detrimentari fundos & eorum functiones, recedentibus agricolis, velut ex vtero libero procedentes, ex hoc corrigentes ſancimus, ſecundùm veterem legem de adſcriptitiis & colonis conſtitutis agricolis, quod naſcitur, adſcriptitium & colonum fieri, ſed ſi ſola fuerit mulier libera conſtituta cùm procreauerit filios, tunc ergo nullo modo patimur lædi ex hoc penitus liberum vterũ, vtque talis mulier tali viro ſociata fuerit, neque adſcriptitio, neque colono, in hoc tantummodo caſu obtinente lege. Sancimus ergo generalẽ legem, vt qui ex adſcriptitio & colono natus eſt, patris naturam ſequatur. Sic ergo & indemnitas fiſco collatoribus erit P C. In hoc medentes, præſentem diſpoſitionem diſpoſuimus, quam obſeruare tuam celſitudinem ſancimus in omnibus Illyricianis partibus, vt non exinde deminutio aliqua dominis inferatur. Tua igitur gloria quæ nobis viſa ſũt per hãc legem diuinam ſignificantem effectui mancipare feſtinet, multa imminente decem librarum auri, qui eam violauerit, aut conceſſerit violandam. *Dat. Sub. Id. Aprilis Conſtantinopoli. Imp. Dom. N. Iuſtiniano Aug. anno 14.* [e] *Iuſtino Conſ.*

CONSTITVTIO IVSTINI IMPER. DE filiis liberarum, in Africam directa.

Imperator Cæſar Fl. Iuſtinus, fidelis in Chriſto, manſuetus, maximus benefactor, Alamanicus, Gotthicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Vuandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, Victor, ac triumphator, ſemper Auguſtus, Theodoro.

DIE noctúque pro vtilitate reipublicæ ſubtiliter cogitantes, illa properamus renouare quanta in locis opportunis ſunt neceſſaria, & maximè pro tributis atq; reditibus, ſine quibus impoſſibile eſt aliquid agere proſperum. Suggeſſit autem tua magnitudo maximam partem poſſeſſorum Africanæ prouinciæ precibus ſuis intimare deſolatos agros remanſiſſe, cùm diuina lex promulgata fuiſſet conſtituens creatos ex libera matre & adſcripticio marito, liberos eſſe, quod contrariũ eſt legibus antiquis: cùm illæ manifeſtè decreuerunt talem ſobolem adſcripticiam eſſe, ex hac. n. licentia filij adſcripticiorum, prædia in quibus nati ſunt, dimittentes, & in aliis habitantes locis, tam fiſcum quàm dominos prædiorum minuere, & hæc dicentes ſupplicauerunt corrigere hoc capitulum apud illam prouinciam, ſicut & pater noſter prædictæ legislator in Illyricianam prouinciam fecit, conſtituens filios qui naſcuntur ex libera matre atque adſcripticio patre, liberos eſſe cum ſuis rebus, ſed tamen colonos vt nõ liceat terrulas vbi nati ſunt relinquere & alienas colere. His igitur noſtræ ſerenitati ſuggeſtione tua relatis, neceſſarium eſſe perſpeximus poſſeſſores ſubiectos noſtros atque functiones publicas adiuuare. Vnde * ſancimus in Africana prouincia filios ex libera matre & adſcripticio patre productos liberos quidem eſſe, & res proprias habere, in ordine tamen colonorum eſſe, & non poſſe eos dimittere prædia, in quibus nati ſunt, & excolere aliena. ſed vicos ipſos in quibus orti ſunt, cum libertate colere, ſic etenim nec fiſcus nec poſſeſſor læditur, neque prædicti imminuuntur, terras vbi nati ſunt excolentes, Theodore parens [b] cariſſime atque amantiſſime. Quæ igitur per hanc diuinam pragmaticã ſanctionem noſtra ſanxit æternitas, tam tua magnitudo, quàm qui poſt te eandem adminiſtrationem adepti fuerint, vna cum officio ſuo effectui mancipare obſeruareq; procurent. *Dat. Kal. Mart. Conſt. Imp. Dom. N. PP. Auguſt. Iuſtini an. 5. Indictione tertia.* Et ſubſcriptio [c] Imperialis, *Vale Theodore parens Cariſſime atque Amantiſſ.* &, Quæſtor legi [d]. *Dat. Cal. Mart. CP. Imp. Dom. noſtro Iuſtino PP. Auguſt. anno 5. poſt Conſ. eiuſdem Domini noſtri anno ſecundo.*

[a] V. *Nov. 162. c. 2.*

* Antiquum eſt viros graues ab Imperatorib. parẽtum nomine appellari.

[c] Obſerua, moris fuiſſe ſubſcriptiõe Principis reſcriptis & cõſtitutionibus addi: ſed & ſubſcriptionem quæſtoris præcedere.

[d] Moris fuit, quęſtores ita ſubſcribere. V. *pragmaticam proximã.* j. *adde Nov. 114. in pr. &*

[f] Eadẽ forma ſubſcribebãt patriarchæ *l. 25. §. 6. Co. de ſacroſ. eccleſ.*

[e] Is fuit ſucceſſor Iuſtini 2. *de quo s.*

[f] Præcedebãt interdu illa. *Et manu diuina: Diuinitas te ſeruet, per multos annos* Nouell. Valentino de homicidiis caſu factis. *& manu diuina optamus vos fœliciſſimos* Nouell. *de indeb. reli.*

[g] addebãt interdũ reſcriptis & conſtitutionib. diẽ, quo is, ad quem dirigentur, eas acceperit, & quo fuiſſent ante latæ, i. programate propoſitæ *l. 27. C. The. de ys quæ ſupr. relat. contra.* Ideoq; in vna & eadẽ conſtitutione interdum quatuordies ſub notabantur. Data, Subſcripta, Accepta, Antelata, vel Lecta vel Allegata.

SACRVM PRAGMATICVM Tiberii [e] Auguſti, de confirmatione conſtitutionum Iuſtini Imperatoris de filiis colonorum & liberarum.

In nomine domini Ieſu Chriſti.

Imperator Cæſar, Fl. Tiberius Conſtantinus, in Chriſto manſuetus, maximus, benefactor, & Fl. Nob. Tiberius Mauritius, feliciſſimus Cæſar, Alamanicus, Gotthicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vuandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, Victor & triumphator, ſemper Aug. Theodoro.

COnſuetum & peculiare noſtrę manſuetudinis remedium neceſſitatibus ſubiectorum noſtrorum imponere cupientes, ſuggeſtionem viri beatiſſimi Publiani, antiſtitis Karthaginienſiũ ciuitatis & poſſeſſorum eiuſdem Africanæ proconſularis prouinciæ, libenter ſuſcepimus, per quas pragmaticam ſanctionem Iuſtini diuæ memoriæ patris noſtri pro conditione ſubolis ab adſcripticio patre & ingenua matre ad Theodorum tũc præfecturam tuam agentem ante tempus emiſſam firmã inlibatámque noſtris etiam adſatibus conſtitui ſupplicauerunt, vt cultura terrarum permaneat nulla lege vel machinatione & ab ea ſeparari valitura. Conſulentes ita que conlatoribus Africani tractus, ſancimus eandẽ pragmaticam ſanctionem, & eius diſpoſitionem, omnibus modis ex quo data eſt, ſuas vires habere, & incertam ei autoritatem vniuerſis dominis terrarum opitulari, vt liberi procreati à matre ingenua & patre adſcripticio vel colono ruſticitatem paternam cognoſcant, & operibus ſuis conſuetos reditus his quib. ſuppoſiti ſunt, ſubminiſtrent, deterioris quidem conditionis alieni, ipſius autem ceſpitis vbi nati ſunt, recedere, & in aliis quibuſcunque locis degere non permiſſuri, Theodore parens cariſſime atq; amantiſſime. Illuſtris igitur & magnifica autoritas tua hanc pragmaticam ſanctionem in æternum valituram edictis propoſitis omnibus habitatoribus Africanarum partium innoteſcat, vt omnibus pateat, qualem pro vtilitate eorum prouidentiam gerimus.

Et ſubſcriptio Imperialis,

[f] *Diuinitas te ſeruet per multos annos parens cariſſime atque amantiſſime.* & Quæſtor legi. *Dat. 3. Id. Aug. CPL. Imp. Dom. noſtri Tiberij Conſtantini PP. Aug. anno oct. & PCL. eius anno tertio & RS. Nob. Tiberij Marc feliciſſ. Cæſar. anno primo* [g].